

castris, municionibus, civitatibus, villis et opidis et ipsarum redditibus universis, hominibus, proprietatibus, dominiis, iudiciis, possessionibus, iuribus et singulis earum attinenciis, cum mero, mixto et integro imperio facere debeant et adimplere cum effectu, ipsam eciam caucionem et certitudinem litteris patentibus magnificorum principum dominorum Lodowici regis Romanorum semper augusti, Lodowici marchionis Brandenburgensis filii sui, Adulphi filii fratris predicti domini Lodowici regis Romanorum ducis Bavarie, Frederici marchionis Misnensis iunioris, Bertoldi comitis de Hennebyergh, Frederici burgravii de Norenbyergh et Borchardi comitis de Mandzsweld et ipsorum sigillorum appositione et eorundem fideidacione firmitus roborare. Homines equidem dictarum terrarum, municionum, castrorum, civitatum, villarum et opidorum dicte Margarete seu alteri vel aliis nomine ipsius Margarete fidelitatis homagium facere teneantur. (3) Preterea si dictum dominum Lodowicum marchionem Brandenburgensem post prolis procreacionem cum dicta Margareta mori acciderit, ipsis liberis viventibus, dictus princeps dominus Lodowicus rex Romanorum vel ipsorum heredes prefate Margarete duodecim milia marcharum puri argenti cum donacione propter nupcias dicta morengawe restituere et refundere teneantur. Pro quibus duodecim milibus marcharum puri argenti et donacione propter nupcias, ut premittitur, dicte Margarete filie nostre cum terris, municionibus, castris, civitatibus, villis, opidis, ipsarum redditibus, proprietatibus et possessionibus universis, ut premissum est, firmam facere debeant caucionem. Residua vero duodecim milia marcharum puri argenti de viginti quatuor milibus marcharum puri argenti prenotatis liberis predictorum domini Lodowici marchionis Brandenburgensis et Margarete filie nostre cedere debeant in ipsorum commodum et profectum. (4) Si eciam dicta Margareta apud dictos liberos suos residere et moram facere elegerit, tunc prenotatus dominus Lodowicus rex Romanorum seu ipsorum heredes dicte Margarete de quolibet millenario puri argenti in certis redditibus terrarum, municionum, castrorum, civitatum, villarum, opidorum et ipsarum singulis attinenciis centum^a marchas^b puri argenti pro ipsius usibus certitudinaliter assignare debeant annuatim^a. Si autem dicta Margareta a suis liberis recedere decreverit, dictus dominus Lodowicus Romanorum rex seu

a) 'centum — annuatim' auf Rasur. b) 'march' Or.